

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro 75. (*Neovidensis* Nro 98.)

---

Secretum litterarum commercium vivos inter, ac mortuos.

*Georgius Campbell salutem dicit ex campis ely-  
siis Germanico Nationalium rerum no-  
varum scriptori.*

---

Elysiun -- Meum. -- Die Martis 18. Dec. 1804. (Neov. 4. Dec.)

---

*Celeberrime vir!*

**A**equi, bonique consule, quas in tuas Ephemeres submitto animadversiones. Non te latet, me tolerantissimum fuisse Theologorum, neque dubita, dari post hanc vitam alteram, in qua, tametsi animus corpore humano exutus sit, tuos tamen æstimatissimos commentarios legere licet.

Controversias, & theologicas disputationes a me non expectes, velim; Observationes tantum, quas ipse fecisti, me exstimulant, ut has ad te exarem literas. Exempli causa: Tua scripta hominem rapiunt, ita sunt elegantia, tali eloquentiæ stylo prædita, nonnullæ tuarum observationum adeo perstringunt aciem mentis, ut summum solatium

sit tecum versari. Non puto meum judicium tibi fore suspectum: Ego sum ex Anglia oriundus, neque tuis, neque illis religiosis opinionibus addictus, quæ sæpe numero aggrederis, eapropter integrum mihi est, hac de re liberius tecum colloqui.

Quavis hebdomade volvo tuas de Germania Ephemerides, & quavis hebdomade magis, ac magis colligo, tuam nationem non esse ejusdem sensus, deesse illi adeo necessariam his temporibus consensionem. Explicabo me clarius.

Me per venerandam antiquitatem illustris reddita religiosa opinio, quam in qualibet pagina vellicas, non fecit tui defensorem; hunc ego laborem præstantioribus ingeniis lubens cedo. Hoc unice gaudio perfrui exopto, ut enervem illam impressionem, quam tua popularis reprehensio apud rudes poterat producere.

Tu probabilius existimas te magnam rem orbi præstare, quod in tuis scriptis lorica, & thorace indutus assurgas contra præjudicia, & superstitionem, ut ea tibi nominare placet, illaque intendas erudito gladio, (qui tamen, ut bene nosti, penna tantum anserina est) transverberare. Verum non observasne nullos in hac pugna adesse adversarios, adeoque te instar celeberrimi Hispanici equitis, contra molas pneumaticas ad Sieram Morenam — solum decertare.

Inimicis tuis optime constat, præterisse jam tempora controversarum quæstionum,

neque esse præjudicia, & pias opiniones amplius in usu; experientia docti sciunt, plus mali pululasse ex erroribus philosophicis, quam theologicis altercationibus. Perpende sis tolerantiam tuorum hostium, qui nec quidem operae pretium esse judicant dare responsum ad ultimos tuos sarcasmos, quos contra Sanctam Afram evomuisti, unde potes concludere, illos longe tolerantiores esse, atque Germanica nationalia nova.

Hominis naturæ valde consentaneum est optare, ut alii idem secum sentiant. Fundamentum hujus desiderii situm est in ingenito tam erga se, quam alios amore. Unusquisque, qui nondum exiit humanitatem, persentiscit quandam erga alios inclinationem, congaudet eorum felicitati, quodsi animadvertat eos in quopiam errore versari, omni contentione laborat eundem illis eximere. Sed etiam quilibet se ipsum amat, in suis ideis sibi complacet, hinc in furorem agitur, si contrariis sententiis palam fiat, quam parum possit ejus ingenio deferri, quam procul distet ab aliis. Hac de causa ægerrime ferunt homines, si eorum opinionibus aperte contradicatur. Quo majorem quis in certis sententiis vim ponit, quo magis existimat in iis partem suæ felicitatis consistere, eo difficilius patitur fieri sibi contradictionem, omnemque suum inimicum reputat, qui se tam eximio, licet tantum imaginarium sit, bono privare cupit.

Si vero ista opinio falsis innitatur prin-

eipiis, quemadmodum tua propositio de Sancta Afra Augustæ Vindelicorum, quam Germanicis rerum nationalium Ephemeridibus inseruisti, nullo negotio potest intelligi, quantam illa omnibus probis attulerit ægrimoniam, ut adeo sola perfectissima tolerantia, & heroica christianæ charitatis virtus possit tibi hanc absurdam commemorationem condonare.

Bene memini me in pluribus libris systema de cultu Sanctorum legisse, & diligenter legisse. Non parit illud tantam offensionem, quanta vulgo creditur. Doctrina de cultu sanctorum in hoc consistit, ut viros virtuti deditos, qui de re Christiana bene meriti sunt, veneremur; nemo propterea obligatur, hunc, aut illum Sanctum sibi imitandum proponere, potest homo salutem æternam consequi, etiamsi nullum unquam tale exemplar peculiari suo cultui destinaverit. Sanctum aliquem colere significat ejus virtutes imitari, & factis exprimere; deinde autem per merita ejus cœlestem Patrem invocare, ut quemadmodum hunc, ita nos quoque remuneretur. Sed nec opus est Sancti alicujus vestigiis insistere, dummodo eum, ejusque probam vivendi rationem non contempnas. In toto symbolo fidei nullum extat documentum, debere nos habere sanctos, vel sine agnitione eorum defuturum aliquid cultui divino; Sancti casu potius fortuito enati sunt, & quia exstiterunt, Christiani eorum vitas describunt, miracula ab iis patrata meditantur, honoremque iis exhibent.

Et hoc quidem systema omni commendatione dignum est. Nonne Domine Author Germanicorum nationalium novorum, tu ipse habebis in tuo domestico museo nonnullas imagines Patris, & Matris? Quid faceres, si quispiam tuum conclave ingrediens Parentes tuos conviciis lacessere attentaret? Nonne in hæc, aut similia erumperes verba: Ego quidem a te non exigo, ut invitus meorum Parentum virtutes extollas, aut eos honore prosequaris, si non sit tibi nota integritas vitæ eorum, attamen illos maledictis proscindi non feram, non patiar; ego eosdem summa observantia colo, novi enim, quid meruerint. Ecce, potes totum systema in tuomet cubili intueri. Deinde, si statuæ, & monumenta ponuntur eversori, qui sibi gloriam tempore belli comparavit, si in ejus effigie veneramur animi fortitudinem, quanto magis oportet revereri taciturnam, & pacatam religiosam virtutem, virtutem inquam, quæ utique plus felicitatis adfert hominibus, quam omnes Alexandri, & Heroes.

Edissere, amabo, quæ est causa, quod in tuis celebratis commentariis in qualibet pagina infeliciter sæcularisatos apud Germanicam nationem, tanquam deteriorem & magis aberrantem partem depingas? Si forte tua religiosa opinio de aliis triumphavit, numquid opus est afflictis majorem addere afflictionem? numquid oportet antiqua commovere præjudicia, quæ modo extra usum posita sunt, & ad caliginosa pertinent tempo-

ra? Sed nec est honorificum, in ruinis alienæ famæ sibi struere monumentum. Non dubito, probe intelligis, quid velim dicere; Bossuetos, Pios sextos, Massilonios, & alios præclaros viros huic veteri opinioni addictos despiciatui habere, ut credulis imponas, te illis plus scire, nec sapit tolerantiam, nec unionem nationalem. Res sacra — miser.

Quoties tua folia volvo, toties mihi recurrunt antiqua theologiarum controversiarum tempora, & primi post confectam pacem Vestphalicam anni. Antiquæ nugæ, quæ ita jam exoleverunt, ut illas omnis fastidiat.

Ego ita existimo, hac ætate nullius esse considerationis, si hic, aut ille cuiquam antiquo præjudicio inhæreat, vel hodiernæ Philosophiæ principia transgrediat. Ausim pacisci, in propria tua culina, Amice, vigere præjudicia: Dicat tibi uxor, carnem in communi fornace assam ita esse succosam, ita sapere palato, uti in furno pistam, tamen si contrarium sentias, sequeris tamen iudicium cocæ, & si idem affirmet conjux, nihil refragaris. Quis ineat numerum omnium præjudiciorum, quæ inde a palatiis obtinent usque ad tuguria? Supersedeo ab enumerandis philosophicis præjudiciis, sunt illa multa, magis noxia, & terribiliora, atque religiosa. Non adducam hanc in rem argumenta, quæ usu didicimus, illa etiam nunc horrore replent omnem humanum sensum.

Amice! Tuæ etiam confessioni addictus, & ante altare consistens lecta hac mea de Germanicis nationalibus ephemeridibus observatione minime perhorrescet, non est illa sive acerbis, sive aculeatis dictis concepta. Non est meum convellere opinionem alicujus Germani, satis habeo labefactasse fidem audacis critici, & promovisse unionem Germanorum, in qua salus eorum consistit. Quod scripsi, accipe tanquam benevolam Angli opinionem, qui Germanis ex animo omnia fausta precatur, neque potest ulla ratione suspectus videri. Oro Deum, ut tibi pacem largiatur, vel, si reipsa germanice bene cogitare nosti, — tolerantiam: hæc ita necessaria Germaniæ virtus sit triumphus tuæ nationis, & omnes opiniones facili negotio conciliabuntur. Hoc mihi dicat intimus sensus — longe sit a me cavillandi animus! Hoc unum licet modo hominibus optare, ut probi gaudio perfruantur, sintque immunes ab omnibus controversiis.

Absint a nobis inanes antiquæ criminationes; Ego maneo — sine ira, & studio tuus verus amicus. Vale.

---

### *B i o g r a p h i a.*

Campbell (Georgius) Doctor Theologiæ, & membrum Regiæ Societatis Edinburgensis, Professor, & concionator Aberdoniæ, edidit diversa præclara opera, inter quæ præcipue

eminet A. 1776 lucem publicam aspiciens: *Philosophy of rhetoric. 2. Vol.* quam A. 1791. Jenischius in germanicum traduxit idioma. Hoc opus dignum est, ut Humianis criticae principiis adjungatur. Cæterum pertinebat ad doctissimos, & tolerantissimos suæ Ecclesiæ viros, de quo jure merito affirmari potest, per ejus Prælectiones, & Alexandri Gerardi, Aberdoniæ in Scotia habitas, utilissimam fuisse introductam mutationem in studio theologico. Ejus dissertatio de miraculis, quæ initio statim suæ originis A. 1762. magnam ubique excitavit attentionem, fuitque in Germanicam, & Gallicam linguam versa, tametsi Author fideliter institerit suo systemati, valde mitem tamen prodit cogitandi rationem. Oratio bello americano A. 1777. ad populum dixit orationem de officiis Regi præstandis ea cum approbatione, ut Gubernium 6000. exemplaria ejusdem notis illustrata miserit in Americam, verum sero illuc advenerunt. A. 1780. Plebe in Scotia in seditionem acta typis imprimenda curavit salutaria pacis ineundæ consilia. Nonnisi duobus annis, antequam moreretur, usus est medico, alias risu exceperit medicamenta, usque dum summa virium opprimeretur debilitate, quæ eum tandem adiecit, ut omnibus officiis nuncium mitteret. A. 1796. 6. Aprilis rebus humanis exemptus est, postquam annos 77. complevisset.

N

Ex c  
ri  
tu  
po  
Pa  
op  
tu  
ti

Elysi

Cajo  
pera  
qu

Re  
plun  
prim  
sole  
conf  
vinc

205